MANIFESTATIO

Seu Protestatio contra Illmum Principem de Repnin Legatum Russiæ ad Serenissimum Regem & Rempublicam Polonam.

ANno Domini 1767. die 26. mensis Octobris, coram Actis Terrestribus Districtus Grodnensis personaliter comparens Illustris Magnificus Dominus Carolus Littavvor Chreptovvicz Mareschalcus Confœderationis, Notarius Terrestris, & electus Districtus Grodnensis ex Provincia Magni Ducatus Lithuaniæ ad Comitia Regni extraordinaria Varsaviensia Nuntius, præsentem protestationem Polonico idiomate manu sua scriptam, & subscriptam publicis tabulis consignandam porrexit de tenore tali.

Libertatem vitæ temporalibus bonis præferens, Fidem autem Catholicam Romanam, magis quam libertatem, pro innato Polonis zelo æstimans, infrascriptus ex Provincia Magni Ducatus Lithuaniæ, Districtu Grodnensi electus ad Comitia extraordinaria Varsaviæ in anno 1767. die 5. Octobris celebrata Nuntius, primo coram Deo uno & trino, cui secreta cordis mei aperta sunt & manifesta, deinde coram toto Orbe, & Poloniarum Regno, coram Serenissimo Stanislao Augusto Rege, & Domino meo clementissimo, ac aliis Serenissimis Regibus, & Principibus, præsertim coram Serenissima Imperatrice totius Russiæ, contra Illmum Principem de Repnin magnum cum plenitudine potestatis Russiæ Legatum, solemniter, imo solemnissime protestor de & super eo.

Quod scilicet præfatus Illmus Princeps concreditam habens fidei & dispositioni suæ a Serenissima Imperatrice numerosam militum copiam in Regno nostro consistentem, contra rectam suæ Serenissimæ Imperatricis mentem, & intentionem, abusus sit delegata sibi potestate, in præjudicium illibati & intemerati honoris dictæ Serenissimæ Majestatis in oppressionem Orthodoxæ Catholicæ Fidei, in convulsionem legum, jurium, prærogativarum, & libertatum Regni nostri.

Cum enim Serenissima Imperatrix cum Republica nostra confœderata, pacis & mutuæ amicitiæ tenacissima, quasdam leges novas constitutas libertati civium contrarias ab una parte, ab altera Disunitorum & Dissidentium a Religione Catholica, quod nimirum in libero Religionum suarum exercitio impedirentur, a prærogativis, honoribus, & officiis, quibus Catholici in Regno potiuntur, ac si contra leges Regni, & pacta conventa inter Serenissimam Rempublicam Polonam, & alios Serenissimos Reges, ac Principes olim inita, arcerentur, querelas inaudiisset, ut desideriis ambarum partium pro æquanimitate & prudentia sua satisfaceret, conservandarum antiquarum Regni legum gratia, auctoritatem suam interpposituram, se se obtulit, querimonias autem Disunitorum & Dissidentium a Religione Catholica in generali Regni Conventu, ad formam legum & statutorum discutiendas, & dijudicandas remisit, nolens quidquam juribus, & libertatibus Reipublicæ, atque dominantis in ea Religionis Catholicæ derogare.

Præterea pacis, & tranquillitatis internæ amantissima, auxiliaribus militum copiis injunxit, ut discordes inter se cives & incolas in suo officio continerent, motus, perturbationes ab utrinque arcerent, donec congregati Reipublicæ Ordines, exortas discordias componerent, & deciderent.

Constat id ex declaratione, quam Serenissimæ Imperatricis nomine Illmus Princeps de Repnin typis imprimi, & Varsaviæ die 26. Martii anni currentis 1767. promulgari, & publicari mandavit: *Non esse intentionem suæ Serenissi-*

mæ

mæ Majeſtatis, *quidquam juribus Reipublicæ ac regiminis formæ derogari*(*a*). Item *nihil aliud velle*, *niſi contrariarum partium odia reſtringere*, *impetus cohibere*, *mutuas cædes inter cives avertere* (*b*). Item *diſpliceret ſummopere Sereniſſimæ Imperatrici*, *ſi rectas ſuas intentiones ſiniſtre quiſpiam interpretari*, *& auxiliares Ruſſorum copias*, *in everſionem regiminis formæ*, *ſuſpicari præſumeret*. *Offert propterea ſua Reipublicæ officia*, *cupiens tali medio omnes de ſe ſiniſtras opiniones penitus aboleri* (*c*). Item *deſideria Sereniſſimæ Imperatricis non poſſe eſſe*, *aut dici*, *vergere in præjudicium Religionis Catholicæ*, *licet aliquam partem Nationis ad ea*, *quæ aliis civibus & incolis ſunt communia*, *tempore Generalis Pacificationis admitti velit* (*d*). Item *Religionis*, *quam Rex*, *quam Primores Status*, *quam maxima & potiſſima pars Nationis profitetur*, *rationem habet*, *eamque aliis Religionibus in Regno anteponit*, *neque vult*, *ut aliquod tam in juriſdictione*, *quam in ritibus patiatur præjudicium* (*e*). Item *hujuſcemodi Religionem ſi quis lædere*, *& perturbare auderet*, *ad eam defendendam*, *& protegendam primam ſe offert Sereniſſima Imperatrix*. *Religio enim*, *ea eſt materia Status*, *qua immutata*, *totum Reipublicæ corpus perturbari neceſſe ſit* (*f*). Item *quod attinet reſtitutionem Diſſidentium ad priſtinum*, *ut prætendunt*, *ſtatum*, *& alios articulos*, *qui Nationem in diverſa ſtudia trahere poſſunt*, *ſi propoſita a Sereniſſima Imperatrice methodo pertractentur*, *providebit illa pro ſua prudentia omnem ſecuritatem*, *ne ulla ex toleratis in Regno Religionibus præſcriptos ſibi limites excedat* (*g*).

Attenta ejuſmodi Sereniſſimæ Imperatricis declaratione, ante omnia, omnes Reipublicæ Ordines junctis & unitis manibus generalem inierunt Confæderationem, tandem ad indicta per Sereniſſimum Regem ſuum extraordinaria Comitia Varſaviam convenerunt, de communi bono, tranquillitate publica, componendis diſſidiis, libere, & omni metu ſepoſito conſulturi. Res tamen aliter ſucceſſit. Illmus ſiquidem Legatus violata ſecuritate publica, erepta dicendi, & ſentiendi, quod æquum erat, facultate, ſpretis Regni juribus, ea in facie congregatæ Reipublicæ egit, quæ nullum alium ad externos Reges, & Principes Legatum attentaſſe unquam legimus.

Atque inprimis ad omnia & ſingula loca, in quibus Palatinatuum, Terrarum, ac Diſtrictuum particulares Conventus, Comitia generalia præcedentes, fieri ſolent, copias militares expediit, ut Equeſtrem Ordinem ad eos pro Comitiis generalibus Nuntios adigerent, qui partibus ſuis, & factionibus ſervirent. In executionem ejuſmodi mandatorum Ruſſus miles eo audaciæ proceſſit, ut legitime per libera ſuffragia electos, ad cedendum electioni ſuæ coegerit, alios Illmo Legato bene viſos ſubrogaverit, atque credentialibus literis, quæ a ſingulis Palatinatibus ſuis Nuntiis dari ſolent, non ea, quæ dicti Palatinatus, Terræ, & Diſtrictus laudaverunt, approbarunt, & ſtatuerunt, ſed quæ Illmo Legato placerent, inſeri forti etiam manu adegerit.

En plura! domi ſuæ ſecuros eſſe cives non licuit, Illmum Czacki Pocillatorem Regni, genere, virtute, & meritis de Republica inſignem, domi ſuæ commorantem, ſub cuſtodia militum teneri juſſit, prohibito etiam amicorum commercio, & ad Conventum Palatinatus ſui acceſſu.

Magnificum Kozuchowski generalis Confæderationis Regni Conſiliarium Fidei Orthodoxæ, & libertatis aſſertorem, in præſentia Sereniſſimi Regis Domini mei clementiſſimi, in oculis Confæderatorum Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ Ordinum, ex loco Tribunali Confæderationis præfixo, domum redeuntem, e rheda, qua vehebatur, violenter extrahi, a milite Ruſſo comprehendi, & ad carceres eidem deputatos duci demandavit.

Quam

(*a*) Declarat. fol. 9. (*b*) Ibid. (*c*) Litera de Panin fol. 19. (*d*) Litera de Panin fol. 17. (*e*) Ibidem (*f*) Ibidem & fol. 18. (g) fol. 18.

Quam primum autem cœpta fuerunt Comitia, portis civitatis Varsaviæ, & aliis opportunis locis milites Russos præfecit, taliterque posthabito omni erga Serenissimum Regem, & Rempublicam libere super negotiis vertentibus consultaturam, respectu; Senatoribus, Ministris, Nuntiis, sine suis liberi passus literis, egressum e dicta civitate prohibuit, &, quod magis aggravat, obtestatus fuit non se ab illa arcta custodia, sive potius obsidione superseſſurum, quamdiu votis, desideriis, propositionibus suis (quamquam legibus nostris, Fidei Orthodoxæ, & libertati contrariis) congregata Respublica non consenserit, quod ei ex sententia successit.

Primum, qui in Comitiis tractaretur, Articulum de restituendis ad pristinum statum (ut prætendebant) Dissidentibus obtrusit, Articulum sane tanto gravem, quanto principalibus Regni legibus, & dominanti in eo Religioni Catholicæ contrarium, eumque non a tota Republica, sed a Commissariis per vim, metum, & illicitas suas factiones corruptis præcipitanter, illegitime, non præmisso tam a Præsidentibus Commissioni, quam ab ipsis Commissariis ad tenorem legum requisito de recta officii sui administratione jurejurando, discuti, resolvi, & decidi voluit.

Indignis magno Serenissimæ Imperatricis Legato hujusmodi conatibus cum se se nonnulli Senatores mox nominandi, & Nuntii opposuissent, ægro animo tulit,& occasionem vindictæ nactus, Illmos Cajetanum Soltyk Cracoviensem, Josephum Zaluski Kijoviensem Episcopos, Venceslaum Rzevvski Palatinum Cracoviensem & Exercituum Regni Ducem campestrem, ejusque filium Capitaneum Dolinensem, & ex Palatinatu Podoliæ Nuntium, concubia die 13. Octobris anni præsentis nocte ab armato milite comprehendi, captivari (audiant nefas Christiani Reges ac Principes, & admirentur!) denique Varsavia relegatos sub stricta custodia teneri demandavit.

Horret meminisse hæc animus! spretus Episcopalis character, flocci pensa Senatoria dignitas, adempta eisdem domum suam disponendi potestas, prohibitum famulitium, denegata necessaria vitæ commoda, bonis suis extorres vivunt, non tam infelicem suum, quam deplorandum Patriæ statum incusant, & ad pietatem movent.

Gravia hæc, sed nondum finis: spoliata Episcopi Cracoviensis Archivia, deprædatum ærarium, suppellex pretiosa direpta, bona Episcopatûs plusquam hostili manu vastata, oppressi coloni, vexati subditi, currus & equi abacti, res frumentaria evecta, greges & pecus dispersum, non solum in personam, in res quoque sævitum est perpetuas.

Et licet Illmus Legatus de Repnin violentias personis Episcoporum, Senatorum, & Nuntii illatas eo prætextu excusare prætendat, quod rectas Serenissimæ Imperatricis intentiones sinistre interpretari, taliterque illibatum ejus honorem lædere ausi fuerint, at nullo probat, aut probare poterit unquam documento. Legat, & centies relegat typis impressos, habitos in facie Reipublicæ eorum sermones, nec unum jota inveniet, quod vel in minimo famæ, & intemerato honori Serenissimæ Imperatricis præjudicet. Leget pro Fide Orthodoxa, pro patriis legibus ferventem zelum; verum ubi Serenissimam Imperatricem memorant, debitam Majestati ejus reverentiam, & respectum, nemo, nisi oculis captus sit, legere non poterit. Laudibus illi extollunt Serenissimæ Imperatricis propensa in Rempublicam studia, in conservanda libertate nostra, & Religione Orthodoxa sollicitudinem. Unus est Illmus Princeps de Repnin, qui reos læsæ Majestatis insimulat, quod sibi contra mentem Serenissimæ Principalis suæ injusta, & iniqua agenti, & metas legationis suæ excedenti, viriliter pro auctoritate Senatoria opponere se se minime dubitaverint.

Relegatis Varsavia ita, ut præmissum est, strenuis legum patriarum, &

Reli-

Religionis Catholicæ vindicibus, nihil ardentius Illmus Legatus deſideravit, quam ut Diſſidentium vota ſecundaret, violatis proinde juribus, erepta & ſuppreſſa libere agendi, & loquendi poteſtate, ea per fas & nefas pro ſuo arbitrio egit, quæ regiminis noſtri formæ, quæ legibus ſacroſanctis e diametro ſunt contraria. Egit inquam, ut multa paucis complectar, non tanquam Sereniſſimæ Imperatricis cum Republica confæderatæ Legatus, ſed tanquam Patriæ hoſtis acerrimus.

Omittam comminatos Senatoribus, & Nuntiis recta ſentientibus, carceres, & exilia omittam denegatum ad Acta publica per totum Regnum acceſſum; Notarios, Tabelliones, ac alios Officiales a ſuſcipiendis contra tot, & tantas Illmi Legati violentias manifeſtationibus ſub pœna colli inhibitos. Poſtquam ventum eſt ad ultimam Comitiorum ſeſſionem, porrecti fuerunt per delegatos ex Ordinibus Regni nonnulli Articuli, conformiter ad leges patrias reſoluti, atque in facie Reipublicæ a Secretario Comitiorum lecti; verum cum Illmo Legato minime placuiſſent, alios per ſe ſe compilatos juribus noſtris, prærogativis, & libertatibus contrarios, neque publici Notarii manu ſubſcriptos, in ſimplici & informi copia exhibuit, atque pro eorum approbatione totis viribus enixe inſtetit. Et quamvis Reipublicæ viſum fuerit in gravi & arduo negotio maturæ deliberationi locum dari, atque eo fine Comitia ad primos Februarij differri, & limitari, eo nihilominus non obſtante, ut dicti Articuli omnino approbarentur, per vim & metum extorſit.

Vix enim ſex aut ſeptem Viri, qui factionum Illmi Legati erant, exquirenti confæderatorum Ordinum Regni Mareſchalco affirmative reſponderunt, ceteri in majori longe numero, de avertendis Patriæ malis jurejurando obſtricti, repugnante facto, & conſcientiâ admoniti, reſiſtendi denique mediis deſtituti tacuerunt.

Tacuerunt quidem, ſed ſinceram reclamandi, quam primum liceret, voluntatem nutibus, ſignis, imo obortis etiam lacrymis obteſtantes, nequaquam conſenſerunt.

Nihil tamen vetuit, quin Illmus Legatus prædictos Articulos tota Republica conſentiente laudatos falſo jactaret, & aſſereret, utque majorem fidem, vim, & robur obtinerent, tanquam ab Ordinibus Regni approbatos, Actis publicis Cancellariæ Regni inſeri mandaverit.

Quapropter ego Deum, & juſtitiam præ oculis dumtaxat habens, pro Fide, & in Rempublicam debito amore, pro munere Nuntii, & officio boni Patriæ civis, quamprimum ex ſæpefatis Comitiis ad Diſtrictum meum Grodnenſem redii; coram publicis ejuſdem Actis, contra Sereniſſimæ Imperatricis (quam omni qua par eſt reverentia & honore veneror, atque ejus benevolentiæ me ipſum, ac mea omnia demiſſe commendo) Illmum Legatum Principem de Repnin, contra injuſtos ejus, & caractere ſuo minus dignos progreſſus, contra omnia & ſingula in oppreſſionem ſacroſanctæ Fidei Catholicæ, & libertatis, durantibus Comitiis per eum geſta, facta, & attentata, inſuper contra omnia quæ per deputatos Commiſſarios in præjudicium Religionis Catholicæ, & libertatis noſtræ conſtituta ſint, vel fuerint, quamvis etiam ea in proximo termino reaſſumptionis Comitiorum laudari, acceptari, & approbari per ſummam vim, & injuriam contigerit, hanc ſolemnem, imo ſolemniſſimam facio proteſtationem, manuque mea propria ſubſcriptam in Actis Terreſtribus Grodnenſibus recognoſco. Salva in poſterum augendi, & addendi poteſtate. Actum Grodnæ anno, menſe, & die utſupra.

Carolus Littavvor Chreptovvicz Mareſchalcus Confæderationis, Notarius Terreſtris, & Nuntius ad Comitia Extraord. Varſavien. Diſtrictûs Grodnenſis ex Provincia M.D. Lith.

Concordat cum Originali. Hyacintus Hintz.